

de verbo ad verbum communicantes ut sequitur, nimirum:

Feria IV. Die 27. Maji 1840.

In Cong. Gen. S. Rom. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis et Rmis D. Card. Inquisitoribus Gen. propositis precibus Dominicanorum Bononiae, quibus exponebant ejus Religiosum N. N., dum Ordinationem Presbyteri recipiebat a R. P. D. Episcopo, monitum fuisse ipsum perturbasse formam adnexam postremae manuum impositioni dicendo: *Quorum remiseris peccata retenta sunt et quorum retinueris remissa sunt.* Propositis item Actis Curiae Episcopalis ad stabilendam veritatem expositorum una cum Voto unius ex Dominis Consultoribus, quod distributum fuerat per manus, propositis item Dominorum Consultorum suffragiis, Emi et Rmi D. dixerunt: „Sub conditione in privato Oratorio quovis anni tempore suppleatur a quovis Episcopo induto de more tertia manuum impositio et forma respectiva: *Accipe Spiritum S.*, non tamen repetendo Caeremonias accidentales antea adhibitae.“ Quibus eadem die ac Feria in solita Audientia relatis per Rmum P. Commissarium S. Officii SSmus D. N. Gregorius Papa XVI. resolutionem Eminentissimorum adprobavit.

Vigore facultatum Nobis ab eodem SSmus D. N. Gregorio Papa XVI. specialiter tributarum concedimus, ut, quae enunciatae Ordinationi desunt vel vitiosa fuerunt, omnino suppleantur ad tramites memorati Decreti Sacrae Universalis Inquisitionis quacumque anni die ab Episcopo quovis induto de more, ut in Ordinatione et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante enunciato Presbytero Sacerdotalibus vestimentis pariter induto et sic suppleatur tertia manuum impositio et respectiva forma: *Accipe Spiritum S.*, quin

repeti debeant Caeremoniae accidentales, quae antea adhibitae fuerunt.

Haec dum Amplitudini Tuae committimus et injungimus, diu felix et incolumis vivat.

N. 4927. Romae 22. Maji 1841.

Rev. Dom. uti Fratri Episcopo Viariensi.

#### e) Defectus in tangendo calice.

Cf.: *Subdiaconatus* (Calix tang. decr. n. 4563 ad 7, 3tio); *Ordinatio ad Presbyt.* (Calix tang.)

*Ad dubium*: an sacerdotem posse continuare celebrationem ss. Sacrificii absque ullo scrupulo et tuta prorsus conscientia, qui non tetigit tactu physico calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum? S. C. resp.: *Affirmative.* N. 2143 die 3. Decb. 1661.

#### f) Impositio manus.

##### I. Defectus.

Lausanen. et Geneven.

Rme D. uti Frater.

Quum Amplitudo Tua mandatis S. R. C. obsequens in novis Literis datis Friburgii die 21. Febr. hoc ipso vertente anno clarius exposuerit factum Ordinationis Titii Presbyteri tuae Dioec. secutae a duobus et ultra annis, in qua quidem Ordinatione per inadvertentiam praetermissa fuit ac postea suppleta una ex praescriptis manuum impositio, ac insimul addiderit Dubia, quae ante etiam dederat pro opportuna solutione, super omnibus fidelem relationem suam in novis hodiernis Ordinariis Comitibus ad Quirinale habitis iteravit Secretarius subscriptus, ut Emi et Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi vel Dubia ipsa declarare possent vel decernere quid in facto ipso ab Amplitudine Tua agendum.

Et Emi iidem PP. maturo examine singula perpendentes, quae religiosissime ab Amplitudine Tua exposita fuerunt, quin Dubiis propositis aliquid directe responderent, communi in voto fuere, ut per praesentes Literas Amplitudini Tuae communicaretur *Ordinatum juxta exposita non esse inquietandum.* Quam quidem mentem S. C. Amplitudini Tuae communico, ut ab ulteriori quacumque anxietate circa factum ipsum cesset et diu felix ac incolumis vivat.

N. 5128. Romae 22. Julii 1848.

Rmo D. uti Fratri Ep. Lausanen. et Geneven.

#### II. Modus.

*Ad dubium*: Quomodo intelligenda sint verba Pontificalis Romani in Rubrica de Ordinatione Presbyteri quoad manuum impositionem: *Idemque faciunt post eum (nempe Episcopum) omnes Sacerdotes, qui adsunt?*

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Juxta votum; ea verba Pontificalis Romani in Ordinatione Presbyteri: *Idem faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt*: intelligi posse moraliter, juxta tamen locorum consuetudinem, servata Rubrica quoad Paramenta et Stolas.“

Atque ita respondit et servari mandavit die 28. Julii 1821. Facta autem de praemissis omnibus SSmus D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque vulgari praecipit.

N. 4583 ad 6 die 31. Junii 1821.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Si expendendas mihi proponerem diversas sententias, in quas abeunt auctores gravissimi de materia et forma Ordinationis Presbyteratus dis-

serentes, nimis ab instituto aberrarem nec possem brevitati consulere. Quid enim prodest de re diatribam texere, de qua in dubio non quaeritur, quaeque ab Ecclesia non est ullo canone definita? Vel enim materia sit instrumentorum traditio, cui forma respondet: *accipe potestatem etc.*, vel sola manuum impositio vel utrumque simul, id ad praesentis dubii solutionem non perlinet. Data quippe hypothese, quod sola physica et subsequens moralis manuum impositio conferat potestatem, nulla subest quaestio de necessitate talis impositionis, sed una est controversia super intelligentia Rubricae Pontificalis, quae jubet: *Pontifex stans ante Faldistorium suum ... imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi ... idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes ... quo facto tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexterarum extensas super illos.* Dubitandi rationem praebet illud: *omnes qui adsunt*, num scilicet ita intelligi debeat, ut physice et numeraliter, quotquot adsunt, manus imponant vel potius moraliter, ita ut nihil officiat, si quis ex praesentibus id omittat? Si materialiter verba accipienda essent, dictio illa *omnes* physice intelligenda foret, ita ut post Episcopum numeraliter, quotquot adsunt Presbyteri, super Ordinandos imponere manus debeant et post physicum contactum in morali dexterarum extensione perseverare, dum Pontifex Orationem legit. Verumtamen eadem dictio accipi etiam moraliter potest, ita ut sensus sit: *Episcopus manibus physice tangat capita Ordinandorum et successive post eum id ipsum praestabunt tres aut plures ex adstantibus Presbyteris.* Non enim dictio illa *omnes* singulos, qui adsunt, comprehendit: sed multi pro omnibus indigitantur. Sub hujusmodi significatione plerumque in Scripturis haec dictio occurrit. Sic Jer.



*licet Regulares a quocunque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad Episcopum illius dioecesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat?* providis romanorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi locorum ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis et in ipsis exemptionum privilegiis, quae regularibus indulta sunt, aiebant, ipsorum ordinationes, utpote dioecesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur, proindeque unice spectare ad Episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis ac loci, in quo ipsi ordinandi commorantur. Contra vero regulares apostolicis privilegiis innixi, quae certis ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocunque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

Verum quum felices recordationis praedecessor noster Gregorius PP. XIII. per suam apostolicam constitutionem, quae incipit „in tanta rerum“, datum apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae MDLXXIII Kalend. Martii, justis gravibusque de causis alteram constitutionem sui nostrique pariter praedecessoris S. Pii PP. V., cujus initium est „Etsi mendicantium“, ad juris communis et sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset, eodem quoque anno in causa monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab

Episcopis dioecesium, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit, quemadmodum legitur lib. I. decretorum Congregat. Concilii p. 75 a terg. dub.: „An Nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab Episcopo alterius dioecesis? Sanctissimus Dominus noster etiam ex sententia sacrae Congregationis Concilii declaravit: *Obligari.*“

Contigit autem sub illius successore Sixto Papa V. eandem quaestionem retractari, instante universo ordine fratrum Praedicatorum. Qua de re idem praedecessor post maturum totius causae examen in praefata Congregatione Concilii habitum constituit: licere superioribus regularibus literas dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos, sed eas tamen dioecesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a dioecesi abfuerit, aut, quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur lib. IV. praedictorum decretorum p. 108: „Sanctissimus Dominus noster Xistus V. ex sententia Congregationis reponit: *Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum dioecesanum, eoque absente vel etiam praesente et ordinationem non tenente ad quemcumque, dummodo ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*“

Demum a sanctae memoriae praedecessore quoque nostro Clemente PP. VIII. ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas sequens decretum editum fuit: *De mandato sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papae VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque regularium superiori-*

*bus, ut de caetero observent et observari faciant ea, quae in decreto sacrae Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinent, regularis positus fuerit et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuerit vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, Episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimentam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis ac alias arbitrio ejusdem sanctissimi Domini nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem etc.*

*Datum Romae die 15. mensis Martii 1596.*

Hoc emanato pontificio decreto eoque tam claris verbis concepto jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri, sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constitui contendere coeperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam ordinariis eorum originis, quo possent ab Episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri, ex altera vero re-

gulares, obtendentes in praefato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis, quae eorum ordinibus sive directe sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocunque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

Verum quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Feb. anni MDCLIV., ut notatum reperitur libro XIX. ipsius decretorum p. 316, ita rescripsit: „*Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri ostendere dimissorias ordinariis propriae originis, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.*“ Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Mart. a. MDCLXXIV. decretorum libro XXVIII. p. 261 et sequentibus.

Quod vero spectat ad regulares, quum eorum praesumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctae ecclesiae romanae Cardinalium a felicitis recordationis praedecessore nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcumque operam pro demandato nobis secretarii munere contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset, cumque ad hujusmodi quaestionem definiendam id potissimum visum esset in jure statuendum: an ad effectum eximendi regulares a praefati decreti Clementini observantia sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocunque ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat, an vero opportheret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis praedecessoris decretum, ac praeterea: an hujusmodi pri-



vilegia aequae suffragantur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt, idem Innocentius praedecessor, audito praefatae Congregationis particularis consilio, decrevit: satis esse ad supradictum effectum, quod huiusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint, dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicatione privilegiorum de uno in alium ordinem derivata asserantur, quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis literis incipientibus „Apostolici ministerii“ die 30. Maji anni MDCCXXIII. datis ac deinde confirmatis a sanctae memoriae praedecessore pariter nostro Benedicto PP. XIII. per alias similes literas datas die 23. Sept. anni MDCCXXIV., quarum initium est: „In Supremo“ aperte declaravit his verbis: „Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a pia memoriae Clemente VIII. praedecessore etiam nostro confirmatum die 15. Martii 1596, quo sancitur, ad Episcopum dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo dioecesanus a dioecesi abesset vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedicta Episcopi dioecesani absentia vel de illa alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a sede apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto

*nihil per praesentes innovare intendimus.*“

Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extrincandis inutilibus quaestionibus vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica possessione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praejudicata opinio pro ratione atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset, nec olim nobis in nostro Bononiensi Archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quigam ex ea urbe repente digressus suique superioribus dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset nos Clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur, quam tamen intolerandam audaciam nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere atque etiam servata pastoralis mansuetudine vindicare non praetermisimus, ut videre est in monito pastorali a nobis tunc edito inter impress. monit. 3. lib. II., neque rursus, ex quo ad universalis ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum fratrum nostrorum quaelae ad apostolatam nostrum delatae fuissent, qui nimirum non sine magno animi nostri dolore apud nos exposulare non desinunt, a pluribus saepe regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum ecclesiasticarum legum atque poenaliu(m) sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini decreti distincte legitur „incurrant“; non autem, quod falso non nemo asseruit, „incurrunt“), dum sci-

licet superiores regulares, qui subditis suis non ad praescriptum ejusdem decreti dimissorias literas concedunt, suorum officiorum ac dignitatum et vocis activae atque passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt, ac denique antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi dioecesani, cujus hac in re jurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniunt, qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine ordines ipsis impertiantur; quoties huiusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi decreta delinquant. Ea siquidem sess. 23. cap. 12. de reform., sic statuit: „Regulares quoque nec in minori aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.“

Nos autem consueta sedis apostolicae clementia uti volentes libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum quaerimoniae ad nos delatae fuerunt. Quaecunque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris iudicii inquisitione liberamus, quin immo omnes et singulos in hoc delinquentes sive superiores regulares sive regulares ad ordines promotos sive antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscunque sententiis censuris et poenis ecclesiasticis,

quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsitan existant, auctoritatis nostrae plenitudine ac de apostolica benignitate tenore praesentium absolvimus et absolutos esse censi decernimus et cum iisdem super quacunque irregularitate per eos forsitan causa et occasione praemissis quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De caetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas motu proprio et ex certa scientia nostra ac matura deliberatione praemissa edicimus atque statuimus.

Quaecunque nimirum hac in re a praefatis praedecessoribus nostris Gregorio XIII. et Sixto V., Clemente VIII., Innocentio XIII. in supra citatis ipsorum literis seu decretis statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine praefatis, earundem praesentium serie, confirmamus, roboramus et innovamus atque ab omnibus, ad quos spectat seu quomodocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et jubemus; transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis cum effectu subjacere, easque ipso facto absque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores nimirum regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII. praedecessor constituit et sanxit: Regulares autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint et Antistites eos promoventes canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, necnon adversus Epis-



cap. 6. n. 8.: *Omnes avaritiae student; Omnes avaritiam sequuntur.* Sic in *Exodo* habetur dixisse Deum Moysi in Sina: *Omnem populum ad vitulum aureum ad orandum conversum esse.* Sic in *Tobia* cap. 1. vers. 5. legitur: *Quod omnes ad vitulos aureos currerent, quos fecerat Jeroboam, et iterum vers. 12.: Quod omnes de cibis vetitis rescerentur.* Attamen in locis citatis et aliis afferendis, si opus esset, dictio illa *omnes* non nisi ad multitudinem significandam accipitur. Quamquam si integer contextus Rubricae Pontificalis spectetur et diversae dictiones simul conferantur, impositionem physicam a morali distinxisse videtur. Postquam enim jusserat: *Pontifex stans ... imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi ... idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt:* immediate subdit: *quorum tres aut plures Planetis vel saltem cum Stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent.* Concludit Rubrica: *Quo facto tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteram extensas super illos.* Si conciliari velint hae tres Orationis partes, forte a veritate non aberraret, qui crederet, ita intelligendam Rubricam, ut sensus sit, quod tres aut plures ex adstantibus Presbyteris sacris amicti physice unus post alium super caput cujuslibet Ordinandi manus imponant, alii vero e Chori subselliis moraliter; et tam isti quam illi in extensione manus dexteram perseverent, quousque a Pontifice Oratio lecta fuerit. Si una vel altera Rubricae interpretatio non adhiberetur et per verbum *omnes* intelligendi essent physice et numeraliter, quotquot sunt, magna etiam oriretur confusio in Cathedralibus, quae abundant adstantium Presbyterorum copia. Hinc est, quod in Patriarchali Lateran., quando generales habentur Ordinationes, duodecim dumtaxat sunt,

qui, Stola e collo pendente, physice post Episcopum manus super Ordinandis imponant, licet multo plures praesentes sint, quamvis ratio dumtaxat haberi velit eorum, qui gaudent praebenda presbyterali, praetermisso longe majore numero illorum, qui, etsi Presbyteri sint, ratione tamen praebendae, Diaconos aut Subdiaconos repraesentant. Praxis igitur servata in Patriarchali Ecclesia, quae caput dicitur omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis, plane demonstrat illud *omnes* non physice et numeraliter sed moraliter esse accipiendum.

Eoque magis ita esse intelligendam rubricam puto, quin, ut adnotat *Catalanus in Commentar. ad Pontificale Romanum §. 6. de Ordinatione Presbyteri n. 1. doctrinae adhaerens S. Bonaventurae*, sola manus impositio ab Episcopo facta essentialis est, cum ipse solus sit Ordinationis minister: adstantes autem alii Sacerdotes ideo simul manus imponunt, non ut Ordinem conferant sed ut eo ritu gratia communionis significetur, quae in Ordine Sacerdotali confertur et per Sacerdotem administrari debet. Haec ergo manus impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis non necessitatis est. Quo posito, quis non videt dictionem illam *omnes*, quae in Pontificali occurrit, insensu rigoroso non esse accipiendam?

Ideo S. C., re mature discussa, respondit: *Ea verba Pontificalis: .. omnes Sacerdotes, qui adsunt, intelligi posse moraliter, juxta tamen locorum consuetudinem, servata Rubrica quoad paramenta et Stolas.* Scite in hoc responso verbis facultativis usa est, ne videretur legem dicere voluisse ubique locorum, nullo facto discrimine, servandum; sed quum nosceret variam esse Ecclesiarum consuetudinem, per verbum illud *posse* declaravit, non esse contra Rubricam illarum Cathed-

dralium morem, in quibus, non quotquot adsunt Sacerdotes, sed aliqui tantum manus imponunt, dummodo tamen ea in parte in suo robore maneat, ubi praecipitur, quod saltem tres aut plures sacris amicti post Episcopum super Ordinandorum capitibus physice manus imponant: sed simul sartam tectamque voluit praxim illarum Ecclesiarum, in quibus consuetudo est, ut non aliqui dumtaxat, sed omnes adstantes Presbyteri physice id praestent.

#### Anicien.

Pro sua, qua praestat sollicitudine, in rite ordinateque explendis iis omnibus, quae pastorale munus respiciunt, S. R. C. efflagitavit Rmus Anicien. Ep., ut sua auctoritate declarare dignaretur, utrum in Ordinatione Presbyteri extensio manus tam Episcopi quam Sacerdotum praescripta a Pontificali fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus fratres dilectissimi*, usque ad *Flectamus genua*, sed etiam post genuflexionem intra Orationem, quae incipit *Exaudi nos*, usque ad Praefationem, ita ut genuflexio interrumpat tantummodo non autem cessare faciat illam. Ratio dubitandi pro sententia affirmativa fundatur: primo, quia non nisi post absolutam Orationem *Exaudi nos* praescribitur alius manuum habitus, unde usque tunc perseverare debet praecedens: secundo, quia si haec extensio manuum sit materia et Oratio *Exaudi nos* forma, ut volunt quidam, inter quos S. a Ligorio, decet utramque simul coexistere: tertio, quia ita expresse et formiter animadvertit et docet Rmus Ep. Bellicensis in suo Rituali recens edito *tom. 1. de Sac. Ordin. Sect. 3.* nixus tum Canon III. Conc. Carthag. IV. tum Sacramentario S. Gregorii M. tum Commentario Catalani in Pontificale *tom. 1. p. 130:* quarto, quia praxis contraria, si existat, nihil probaret utpote de re non ne-

cessaria absolute sed congrua tantum, in qua ex infirmitate humana irrepere potest error: quinto, quia passim in Liturgia genuflexio interrumpit praecedentem manuum habitum, sed non cessare facit, v. g. in Ev., in Collectis Feria VI. in Parasceve.

Pro sententia autem negativa, quia, ut queritur idem Ep., saepe fit aliter.

Et S. eadem C. Ordinariis in Comitibus apud Quirinales Aedes coadunata die 24. Sept. superiore Anno 1842 audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: „*Ponatur in Folio, exquisito Voto Magistri Caeremoniarum.*“ Quod quum factum fuerit, omnibus praelo cussis, in altero Ordinario Coetu infrascripta die habito ad Vaticanas Aedes Emi et Rmi P. S. Ritibus praepositi ad relationem Emi et Rmi D. Card. Constantini Patrizi Urbis Vicarii et Ponentis, omnibus rite matureque libratiss, etiam quoad expositas dubitandi rationes, uti fuse in Voto exprimuntur, rescribendum censuerunt: „*Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum in Ordinatione Presbyterorum praxim servandam esse Eccl. Romanae, quae manus Ordinandis imponit in prima tantum Oratione: Oremus Fratres Charissimi.*“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 18. Febr. 1843 n. 4952.

#### g) Osculum.

*Ad dubium:* Praestita a Presbytero ordinato in fine Missae obedientia Pontificale Episcopo injungit ut eum osculetur. Quomodo ista deosculatio est faciendae?

S. C. resp.: „*Dextera vultus pars deosculanda est.*“ n. 4669 ad 17 die 12. Novb. 1831.

#### h) A Pontifice peracta.

*Utrum a Pontifice presbyter ordinatus ab ipso Pontifice vel ex ejus*



*speciali delegatione in Episcopum sit consecrandus?*

Vd.: *Sacerdos ordinatus a Pontifice etc.*

i) Reiteratio.

Vd.: *Ordatio ad Presbyt.* (defect. hostiae etc. decr. diei 14. Jan. 1708; def. in collat. etc.)

k) Ritus missae leg. a Presbyteris ordinandis.

Presbyteri ordinandi solum a: *Suscipe Sancte Pater etc.* debent inchoare missam cum celebrante et ordinante Episcopo.

Item debent missam legere in terra genuflexi, sed non omnes illas, quas Episcopus ordinans in missa facit actiones, facere debent, e. g. cruces super Oblata peragere, genuflectere etc.

Non est necesse, ut iidem, postquam sunt de Corpore Christi communicati, de illo calice, quem in Ordinatione tetigerunt, ablutionem sumant. n. 4205 ad 1—5 die 20. Sept. 1749.

*Ad dubium 1.*: Si ordatio Presbyteri fiat in cantu, Praefatio et alia, quae cantantur ab Episcopo, quomodo dicenda sunt ab Ordinatis?

2.: In Pontificali legitur: *Ordinati ad Presbyteratum dicant Evangelium in fine Missae*: dicere debent una cum Episcopo ad suam sedem redeuntem an ex se solis? S. C. resp.

Ad 1.: „Sine cantu legenda.“

Ad 2.: „Una cum Episcopo.“

N. 4669 ad 11 et 12 die 12. Nov. 1831.

21) Privata in Sabbato sancto.

Vd.: *Ordat.* (Litaniae.)

*Ad dubium*: An in Ordinatione privata, quae fit in Sacello in eodem Sabb. S., monitio faciendae sit promovendis ad Subdiac. ante Litanias vel postea, praesertim si unus tantum Ordo Subdiac. sit conferendus?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

Servetur Pontificalis huius diei rubrica.

Atque ita respondit et servari mandavit, die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. Pont. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum approbavit confirmavitque, atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecepit. n. 4583 ad 5 die 31. Junii 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Vel Ordatio in Sabb. s. publica et generalis sit, sive particularis et privata; unus tantummodo vel plures tum ad minores tum ad sacros Ordines sint promovendi, eadem regula semper tenenda est et s. incipiendae actio a prophetiis, veluti praescriptum vidimus in Romano Pontificali et declaratum fuit in Bergomen. a S. R. C. 21. Martii 1744. Quamobrem si unus dumtaxat Subdiac. sit ordinandus in domestico Episcopi Sacello, ut in proposito dubio, praescriptarum precum et actionum ratio nec turbanda nec invertenda est, imo apprime servandus ordo a Rubrica dispositus. Porro Pontificalis rubrica jubet, ut, absoluta prophetiarum lectione, statim dicantur Litaniae et Missa sequatur, qua inchoata et non prius, faciendae est Ordatio, servatis regula et tempore singulis Ordinibus assignatis. Ideo cum nemo sit tonsura initiandus, nemo ad minores gradus promovendus, incipere Ordatio debet post Orationem et exordium ab admonitione, ut Ordinandus de statu amplectendo, a quo postea resilire non poterit, queat determinare. Neque interest, quod supra eundem prolatae jam fuerint formulae benedictionum: nam huiusmodi formulae deprecatoriae sunt et haberi debent tamquam dispositivae ad Or-

dinem conferendum et suscipiendum; ideo, ut jam supra notatum est, ad essentiam Ordinationis trahi nequeunt, libertatem non adimunt, jugum non imponunt et Promovendus adhuc liber est, donec forma non fuerit super eum ab Episcopo prolata simulque adhibita et tradita Ordinationis materia: scite igitur S. C. proposito dubio respondit: *Juxta votum, videlicet: In privata etiam Ordinatione, quae fit Sabbato S. unius tantum Subdiaconi, monitionem faciendam esse, servata Pontificalis rubrica, non secus ac in Ordinatione generali.*

*Ad dubium*: An Episcopus volens in die Sabb. s. Ordines conferre, licite hoc praestare valeat, sacrum privatim peragendo in proprii Palatii sacello vel alibi?

S. C. resp.: Negative. Die 18. Mart. 1702 in *Mazarien.*

22) Promulgatio.

Vd.: *Nuptiae* (promulg. decr. de die 8. Julii 1724.).

23) Recessus ab Ordinatione.

*Ad dubium*: Pontificale praescribit, quod, completa Ordinatione Ordinati, suggerente Archidiacono, recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debet Archidiaconus hisce occasionibus?

S. C. resp.: „Ad loca vestra vel similibus.“ n. 4669 ad 4 die 12. Novb. 1831.

24) Regularium.

a) Abbatis consensus.

*S. Gregorius I. PP.*

Custodiendum est (ab Episcopis) ut invito abbate ad ordinanda alia monasteria aut ad ordines s. vel Clericatus Officium tolli exinde Monachos non debeant.

Die 5. Apr. 599.

Decreta authentica. Tom. II.

(Bull. r. t. I. p. 171. Ed. Aug. Taur. 1857.)

„Nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi potestatem habere audeat Episcopus in Coenobio, nisi ab abbate loci fuerit rogatus.“

*Ibidem.*

*Martinus I. PP.*

*Coenobio Elmonensi.*

Custodiendum est (ab Episcopis) ut invito abbate ad ordinanda alia monasteria aut ad Ordines s. vel Clericatus Officium tolli exinde monachi non debeant.

*Ibid.* p. 206.

*S. Stephanus II. PP. Abbati Fuldrado.*

Hoc omnino interdicimus, ut nullus Episcoporum praesumat presbyterum aut diaconum vel reliquos ordines ecclesiasticos in (praedictis) monasteriis ordinare vel missas ibidem celebrare, nisi ille, qui ab abbate in tempore existente fuerit invitatus.

Die 26. Febr. 757 (*Ibid.* p. 245.).

b) Conditiones, literae dimissor. et testimon., Ordinans.

*Bened. PP. XIV.*

Impositi Nobis licet immerentibus apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a praedecessoribus nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudeatur effectibus novis et inviolabilibus sanctionibus communiemus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Sane, quae olim de ordinationibus regularium controversia vixit: *an sci-*